

ferioris, et est Nardo celticae similis alia Amoen. acad. 1. p. 154. Folia radicalia ovata, integerrima, rarissime subdentata, obtusa, longius petiolata. Caulis spithameus, simplicissimus. Folia caulina opposita, duobus s. 3 oppositionibus, majora sessilia amplexicaulia, cordata, profunde dentata s. incisa. Racemus terminalis, pedicellis oppositis breviusculis, dichotomis: Bracteis linearibus.

Heracleum tuum ex figura non facile dignosco.

Videtur esse ista apud nos vulgatissima varietas Heraclei Sphondylii, quae Sphondylium hirsutum foliis angustioribus C. B. 157. prodr. 83. sed flores in nostra virescentes sunt, nec radiati. vide Fl. suec. edit. 2. pag. 88.

Mimosa nodosa mihi erat olim in Horto cliffortiano; istam non vidi florentem. habeo ejus specimen siccum, quod non videtur convenire cum Tua. Ceterum vivit in horto nostro Tua, ex Tuis seminibus orta, licet nondum floruerit.

Pro catalogo tabularum gratias ago, sed satis sero advenit. Typographus pervenit cum impressione specierum ad medium pentandriae. citabo quotquot possum e Tuis rite intelligere.

Insectum a Te missum proxime accedit ad Dermesten illum Pisorum (Syst. nat. 35b. n. 21.) qui tam magnum damnum adfert Pisis in America Septentrionali, ut fere omnia Pisa destruat.

*Bactris* DERMESTES obsolete tomentosus, subcinereus, antennis filiformibus, elytris laeviusculis, femoribus posticis gibbosis.

Simillimus est Dermestidi Gleditsiae (quem habui ex America Carolina, qui destruxerat omnia semina Gleditsiae) ut facile pro eodem haberem, sed illius elytra sunt stricta, Tui vix ac ne vix, illius color totus piceus, Tui ex glauco cinerascens, illius Thorax punctis excavatis, Tui vero absque punctis, illius femora e rufo picea, Tui vero corpore concoloria, caeterum difficile distinguuntur hae duae species.